

22

I. N. D. O. M.

Dissertatio Academica,

Salutaria questionem:

*AN MYSTERIUM S. S. TRINITATIS
VETERIBUS SCANDIANIS SUB GENTILISMO
FUERIT COGNITUM?*

Quam

Conf. Ampliss. Fac. Philos. Aboëns.

PRÆSIDE

MAG. JOHANNE BILMARK,

HIST. ET PHILOS. PRACT. PROFESSORE REG. ET ORDIN.

PUBLICA MODESTE SUBJECT CENSURÆ

PETRUS WATTRANG,

STIPEND. REGIUS, ANGERMANNUS.

In Auditorio Majori die xxiv Maii 1797,

h. a. m. c.

ABOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS,

VIRO

Plurimum Reverendo et Præclarissimo,

DOMINO MAGISTRO,

ERICO SELLIN,

*Pastori Ecclesiæ, quæ Deo in Anundſio colligitur,
meritisimo,*

PATRONO PROPENSISSIMO.

*I*ngentia Tua in me merita pio dum expendo animo,
studium gratissimam testificandi mentem vehementissime
inardescit; doleo autem me eis prædicandis, ne dicam re-
pendendis, semper imparcet futurum. Patiaris tamen,
Vir Plurimum Reverende, hocce tirocinium Acade-
micum, Tuo ornatum Nominé, in publicam emitti lucem;
quam si dederis veniam, novum Tui in me favoris ha-
bebo documentum, gratissimo semper pediore reponen-
dum, permansurus ad iheres usque

Plurimum Reverendi Nominis Tui

Cultor humillimus

PETRUS WATTRANG.



PRÆFATIO.

Quum in veritate investiganda homines non semper, quod tamen deberent, rationem sequantur ducem, sed suis se regi opinionibus plerumque patiantur; fieri aliter non potest, quam ut judicia eorum de una etjam eademque re maxime sœpe discrepent, et quantum eidem tribuunt nonnulli, tantum ei vicissim detrahant alii. Vallet hæc censura imprimis de Theognosia veterum populorum, Revelationis luce destitutorum; cuius indelem tradituri Scriptores, pro diverso suo captu eos modo proponunt, ut ab omni cognitione, præterquam ad vitæ animalis sustentationem necessaria, proflus remotos, dum tantam eisdem alii tribuunt eruditioris supellectilem, quanta homines, in litteratum luce degentes, haud dedecet. Mittimus cum alia quæstionum acumina, tum alios populos, veteres Scandiae incolas præcipue consideraturi, quorum de Deo O. M. cognitionem, dum sporadicam degabant vitam, alium sibi victimum et amictum comparandi modum, præter venationem, ignorantes, valde exiguum fuisse, res ipsa loquitur. Mutato autem ærumnoso hocce vitæ genere, postquam familie sedes sibi fixerunt stabiles, terramque, bonam matrem, excolere cœperunt, maxime vero constitutis civitatibus, experientia, meditatione ac mutua conuersatione sensim aucta fuit illorum tam de

A

Deo,

Deo, quam de rebus creatis cognitio, ut si id nunc age-
retur, haud operose ostendi posset, eos rerum peritia
multis aliis gentibus parum cessisse. In veterum Scandi-
anorum laudibus hoc poni, fuisse satis, quibus autem
Eruditorum quidam non simplicem Theognosiam, sed
aliqualem insuper notitiam Mysterii S. S. Trinitatis tribu-
erunt; de quorum conatu quid sentiendum sit, paucis in
hac disquiremus dissertatione; quam ut Benevolus Le-
ctor meliorem in partem interpretetur, omni, quo par est,
verborum honore rogamus.

§. L

Nostram de proposito argumento sententiam exposi-
turis liceat observationes quasdam lacem, ut speramus,
eticendis foeneraturas, præmittere. Quamvis igitur Mys-
terium S. S. Trinitatis, quod tres distinctas personas in una
Divinitatis essentia esse importat, aciem intellectus hu-
mani, trinum in Unitate non concipientis, plane fugiat;
fuerunt tamen Eruditorum nonnulli, suo tantum tribuen-
tes ingenio, ut abstrusum hoc dogma ex principiis ratio-
nis demonstrari posse crediderint. Nolumus jam, quum
instituti nostri ratio id non ferat, plures, hac oberrantes
chorda, Scriptores excitare; nemini tamen forte ignotum,
vel POIRETUM Mysterium S. S. Trinitatis methodo Mathe-
matica demonstrare aggressum *a*), vel RÜDIGERUM in libro,
quem *Physicam Divinam* appellavit, idem thema explicare
conatum *b*). Alii in eadem hærentes persuasione, ne ta-
men temere quid asseruisse viderentur, Sapientiores gen-
tilium Philosophorum, Trinitatem in Divinitate asserentes,
in scenam producunt. PLATONEM imprimis, Græcorum
Philosophorum facile Principem, talem Divinitatis ideam
habu-

habuisse, colligunt præcipue ex Gorgia atque ex celebri
 et ab ipsis Christianis sape laudata ejus epistola ad Dio-
 nysium secunda, ubi hæc occurunt verba: *Dicendum est*
tibi nunc per ænigmata quædam, ut si quid huic tabellæ vel
mari vel terra contingat, qui eam legerit, intelligere non
possit. Hæc præfatus subjicit: *Est autem ita: circa omnium*
Regem cunæla sunt; ipsius causa omnia; circa secundum se-
cuenda, tertia circa tertium. Atque hæc a Platone com-
 memorata Trinitas juxta interpretationem PROCLI, *Pater*
est, et Potentia et Mens &c. Verba autem Platonis allata,
 hieroglyphicis etiam obscuriora, quum Eruditorum tamen
 perstringerent animos, ne fateri cogerentur, ipsum sola
 meditatione ad cognitionem magni Mysterii pervenisse,
 venditarunt, Platonem sub sua in Ægypto peregrinatione
 a Judæis, ibi habitantibus, notitiam hujus dogmatis ac-
 cepisse. Enimvero quum non defuerint Eruditi, Theolo-
 giam Platonis in dubium vocantes *d*); non videmus, qua
 veri specie aliquam abstracti admodum dogmatis de My-
 sterio S. S. Trinitatis habuerit cognitionem. Luculentiora
 alijs videntur verba SENECÆ, sed quæ tamen rem, de
 qua nunc agitur, non plane conficiunt. Ita autem ille:
Duo, quorunque nos moverimus, pulcherrima sunt: Naturæ
communis et propria virtus. Id, crede mibi, ab illo actum,
quisquis creator universi fuerit; sive ille Deus est, potens
omnium, sive incorporalis Ratio, ingentium operum artifex,
sive Divinus Spiritus, per omnia, maxima minima æquali
intentione diffusus, sive Fatum, et inter se cohærentium caus-
sarum immutabilis series &c. &c. Quæ quidem verba ita
 interpretatur PETR. DAN. HUETIUS, ut per Deum, omnium
 potentem, SENeca intellexerit Patrem omnipotentem; per
 incorporalem Rationem indigitaverit Filium, *λόγον* nem-
 pe sive verbum, per quod omnia facta sunt, et per di-
 vinum Spiritum indicaverit Spiritum Sanctum *f*). Quarti

autem seu Fati, utpote opinioni suæ adversi, nullam reliquit explicationem. De conatibus autem Huëtii non præter rem judicat C. G. JÖCHER Petr. *Dan Huëtius in Quæstionibus Alnetanis*, consensum Sacrarum veritatum cum Philosophorum et Poëtarum Gentilium sententiis monstrare aggressus est; cescit autem eidem conatus iste non ubique ex voto; multa in isto opere occurrunt, quæ specie non destituntur; at si accuratiorem inter Scripturam et ista gentilium loca collationem insitutum, alia omnia sentiunt, quam quæ dicere videntur g) Addere licet, quod quum plerique gentilium pro connata mentis coecitate in Polytheismum propenderent, et numero ternario quid præcipui inesse superstitione crederent, mirum non sit, quod modo tria, modo plura Numinia, cultus sui religiosi objectum constituerint; unde tamen non consequitur, eos tres Personas in una Divinitate, quod Mysterium S. S. Trinitatis insinuat, agnoscisse. Et quomodo, quæso, ex crepero rationis suæ lumine hoc agnoscerent, quum multi etiam Christianorum Doctorum et antiquiori et recentiori ævo Mysterium hoc non solum in dubium vocaverint, sed plane, quod horrendum dictu, pernagaverint.

§. II.

- a) Vid. Cel. BUDDEI *Iſagogen in Univers. Theol.* p. 433.
- b) Vid. N. H. Gundlingii *Philosophischer Discourse über seine viam ad veritatem Logicam* p. 187. c) Vid. PROCLL *Theol. Platonis libr. 3 Cap. 21.* De Trinitate Platonica vid. CUDWORTHI *Systēma Intellectuale* p. 732.
- d) Vid. N. H. GUNDLINGI obſervat. *Selectar. VIII. p. 103 et seq.* e) Vid. *Consolat. ad HELVIAM Cap. VIII. prope finem p. m. 631.* f) vid Petr D. Huëtii *Alnetanas quæſtiones* p. m. 95. g) Vid. *Dissertat. quæ inscribitur; Ep̄ilosophia, heresim obex,* p. m. 64.

§. II.

A Græcis ad boreales Europæ Nationes magnis pergitimis passibus, visuri, qualem hæ, gentilismi tenebris adhuc immersæ, Theognosiam habuerint. Et quoniam Germaniaæ nomine Scandia ejam olim comprehendebatur, consulamus præcipios Scriptores, qui de Religione veterum Germanorum aliquid memoriae prodiderunt. Horum non pauci in ea fuerunt opinione, veteres Germanos, a Majoribus suis Mysterium Trinitatis eductos, in Divinis Trinitatem coluisse, sed Satanæ deinceps illusione longo temporum intervallo seductos, rebus a Deo creatis equidem Divinitatem tribuisse, nibilo tamen minus Trinitatem, fabulis trium Deorum, Solis nempe, Lunæ et Vulcani involutam, veneratos esse, ita ut Solen dicerent Deum Patrem, Lunam Deum Filium, Vulcanum autem Spitem Sanctum a). Commentum hoc inter primos proposuit Elias SCHEDIUS, asserere non dubitans: *Celtas coluisse unum Deum THAUT; et tres Personas Secundum Sanctæ Trinitatis, Hesum Deum Patrem, Belonum Deum Filium, et Pbaranum Deum Spiritum Sanctum in uno Thaut veneratos esse b).* Ex quibus autem fontibus hanc notitiam haurerit nominatus Scriptor, ne verbo quidem indicat, sibi itaque et suis narrationibus relinquendus. Paria cum Schedio facit PHILIPPUS CLUVERIUS, qui laudes Germaniaæ, patriæ suæ, amplificaturus, in fraudem veritatis nonnihil adferre haud dubitavit; causam igitur modo memoratam majori, quam Schedius, apparatu agit in antiqua sua Germania, integro capiti hanc summam prescribens: *Priseos Germanos unum verum, æternum Deum in Trinitate coluisse sub solis, Lunæ atque ignis nominibus c)*. Et ne quis forte dubitaret, quin majores sunt plenam Mysterii S. S. Trinitatis habuerint notitiam, addit:

dit: *Celtas nostros, atque in his maxime Germanos et Gallos . . . sumum atque unumque Thaut hoc nomine Deum verum eos coluisse existimat d, trinum in unitate, et unum in Trinitate profesos esse e).* Vim et nervos sententiae suæ adjecturus, testimonium adfert JULII CASARIS, de veteribus Germanis ita scribentis: *D'orum numero eos solos ducent, quos cernunt, et quorum opibus aperte juvantur, Solem et Vulcanum et Lunam, reliquos ne fama quidem accepérunt f).* Quam parum vero allata Schedii et Cluverii sententia propositum conficiat argumentum, haud multa opus est probatio. Animadversione est dignum, quod licet de veterum Germanorum Diis uterque agat, nominibus tamen diversis, et nullam inter se affinitatem habentibus, eosdem designent, quod certum est ignorantiae indicium. Deinde ex allato JULII CASARIS effato colligitur, veteres Germanos a vera Dei cognitione suisce remotissimos, in profundo superstitionis luto ita harentes, ut rebus creatis, et quas viderent, Divinitatem tribuerint, easque religioso modo coluerint, proindeque ad Polytheistas et Materialistas esse referendos. Quibus addere licet, quod nullus veterum Scriptorum asseveret, vel Germanos vel alios paganos populos tres personas in uno, ex. gr. Sole, coluisse. Imo Germanos Mysterium S. Trinitatis plane ignorasse, exinde constat, quod TACITUS memoria prodat, eos iusupet Mercurium, Herculem, Martem, Isidem, aliasque cohiisse. Quem in locum ita commentatur MARCIUS, citante Cyriaco Lentulo in Germania p. 172, ita scribens: *Augustum illud S. Trinitatis Mysterium, rationi inaccesum, Philosophis ignotum, Judæis et Mahometanis invisum, Scholasticorum tricis impeditum, crassi illi Germani rationis ductu investigaverint? Ad quæ seculum eruditissimum, sine revelatione benigni Dei, nullo rationis*

nis acumine pervenire poterat, in tenebrarum ævo rudi
hominum feritati obvia erant?

- a) Vid. J. C. CLEFFELII *Antiquitates Germanorum* p. 438.
- b) In Libro de *Diis German.* p. 220. c) Vid. *German.*
Antiq. Cap. 29 p. m. 212. d) Vid. loc. modo citat.
- e) Vid. *Libr.* sèpius citat. f) Vid. *Libr.* VI de *Bello*
Gallico Cap. XX p. m. 150. g) Vid. *Libr.* de *Mori-*
bust *Germaniae* Cap. IX, p. m. 416, 417.

§. III.

Si in ambiguis quæstionibus dirimendis testimonias
Celebrium Virorum instar argumentorum valerent, nul-
lum esset dubium, quin veteres Scandiae incolæ sub ipso
gentilismo aliquam Mysterii S. S. Trinitatis habuerint no-
titiam. Ita omnino censuit Rev. Episcopus D. D. Petrus
BÅNG, existimans, Majores nostros primis seculis ad Chri-
sti cognitionem pervenisse, licet ignoret, quibus mini-
stris illam acceperint. In hunc enim ferme modum dis-
serit: *Dicat alius, nostros Scandianos nova prædicatione tra-
bos fuisse ad fidem Christi, vel per ipsum Deum, vel per
Angelum bonum, vel per genium aliquem, vel per Angelum
malum, qui itidem mandata Dei nonnunquam cogitur perferre.*
Quidquid horum ille alius dixerit, refellere ego non possum a). Ante BÅNGUM Joachimus HOPPERUS in Themide sua Hy-
perborea, antiquissimæ illius, quam deprehenderat, Hy-
perboreæ tabulæ explicationem traditur, ita scribit: *A*
quibus quidem cum ad Reginas ipsas seu Deas adscenditur,
ad ea secundo loco pervenitur, quæ Haitba b), Sinna et Ga-
sta in Deo vel Hyperboreis nostris vocantur. Quas quidem
tres numero inter se diversas, ita ut una non sit alia - - -
quarto loco Gotba, quæ summa est, una substantia sive natura

*comprehendens, in unum omnes redigit, et ex solo trinum
 unum efficit c).* Mirifice hæc, quamvis tenebris fere ob-
 scuriora, placent Olavo RUDBECKIO, qui igitur verbis al-
 latis addit: *Meretur integer Hopperi tractatus legi, et
 genuina prorsus de unitate et trinitate passim occurrunt. E-
 go vero in primis miror, in loco citato integra nomina tri-
 um Personarum tribus invariatis Gothicis vocibus efferri.
 Haitha, Sinna, Gasta, bodie Gudren, Sonen, Arden, i. e.
 Pater, Filius et Spiritus. Et insuper Gotba, unus esen-
 tiæ nomen, bodie Gudom, Divinitas d.* Antiquariorum
 nostratium alii rem altius repetunt; et quum articulus fi-
 dei de Mysterio S. S. Trinitatis sit fundamentalis, sine
 cuius cognitione salvari nemo potest, colligunt, Deum
 pro immensa sua in genos humanum bonitate hoc My-
 sterium afflictis protoplastis revelasse, hos deinceps idem
 suis pedulò tradidisse posteris, adeoque primos etiam Scan-
 diae incolas, a Noachidis ortos, cognitionis hujus non
 fuisse expertes, seculorum licet decursu valde corruptæ e).
 Quicquid hörum sit, extra dubium est possum, veteres
 Hyperboreos sub genitilismo tres maiores Deos, *Odinum,*
Thoratum et Friggam coluisse f), nec tamen alia, a se
 effecta, numina proflus negligisse. Enimvero quum illos
 ut plane diversos, nec ejusdem essentia habuerint, patet,
 ipsorum Theognosiam foiste veterum Romanorum, Jo-
 vem, Martem et Venerem præcipue adorantium, imita-
 tricem; qualis eadē fuit, usque dum alter *Odinus* in
 Scandiam pervenit, qui Regi *Gylfoni* suisque civibus
 persuasit, se unicūm esse numen, a mortalibus adoran-
 dum, nomine et Personis trinum In sublimi namque
 palatio, specie trium Regum, subordinatis ad invicem
 tellis insidentium, ipse conspiciebatur, triplicique nomine
 majestatem suam ostentabat. Dictus enim fuit *bar h. e.*
excellus, et *Zufnbar h. e.* aequo excelsus, et *tridi i. e.* ter-
 tius

tius g). Quæ quidem si rite expendamus, patet, non luculentis argumentis, sed frivolis eos niti præsumptionibus, qui veteres Scandianos aliquam Mysterii S. S. Trinitatis notitiam habuisse, argutentur.

- a) Vid. *Histor. Priscorum Suo Gothor. Ecclesiast.* p. 306. et qui huic pollicem premit *Tragillus ARNIEL in Cimbrische Heiden Religion* p. 58 §. 2. b) *De Aita Cantabrica et baite Friliorum, Attya Hungarico, Patrem significante notione*, vid. *WACHTERI Glosf.* p. 26, 2. c) Citatur hic Auctor ab Olavo RUDBECKIO in *Dissertatione de Ave Selav* p. 21. d) Vid. *Dissertat. modo nominat.* e) Cel. WILDE in *Liber. Svånska Stats-Histor.* p. 519 agnoscit aborigines Gothorum in gentilismo multa Fabulari Theologiæ suæ de Triuno Deo inspersisse. Addantur Fr. MOZELIUS in *Dissertat de Philosophia veterum Sveo-Gothorum* p. 24 seq. nec non J. L. LORTUS in *Disserat. An Trinitas Personarum in Deo gentibus sit cognita?* f) Quod si tribus hisce nonminibus non diversæ personæ, sed diversæ Numinis virtutes, *Potentia*, videlicet, *Amor et sapientia*, indigitentur, vid. DALINI *Histor. Svec. Tom. I.* p. 133, patet, veteres Scandianos sine ulla revelatione Trinitatem uni Deo tribuere ponisse. g) Vid. VERELLI *Not. ad Historiam Gotbr. et Rolf* p. 43 §. 4.

§. IV.

Mirari nihilo minus convenit, unde Majores nostri sub gentilismo sparso illas lucis Revelatae faculas, in Edda occurrentes, collegerint, attamen luculentiores, quam ut eas hoc loco reticeremus. Sic *Mythologia XVIII*, *Odinn beiter Allfader, tbui baner fader allra Guda*, id est Odinus vocatur omnium Pater, quia Pater est omnium Deorum. Perhibet deinde My-

thologus, quod Odinus genererit filium Thorerum, qui pugnavit cum serpente infernali, quæ pugna in Eddæ Mythologia XLVII juxta versionem Latinam ita describitur: *Tunc quoque ex vinculis solvit garmus canis, qui alligatus fuerat ad ostium speluncae, quæ Gryphe beller nominatur.* Is maxima est pernicies; cum Thoro congregitur, et cadunt ambo. Thorus victoriam quidem ab angue Midgardiano reportat, sed novem passus ab illo digressus, ob vim veneni, quo ipsum anguis afflarat, mortuus cecidet. Ex quibus facile quis præsumeret, pugnam illam, quam Salvator noster CHRISTUS, genus humanum liberaturus, cum serpente infernali habuit, nominibus licet diversis, heic describi. Probabilius tamen est, Historicos Islandicos, SÆMUNDUM et SNORRONEM STURLONIDEM, veterum Scandianorum Mythologiæ, in Edda occurrentis, collectores, et Doctrinæ Christianæ principiis imbutos, a suo officio haud alienum duxisse, præcepta Religionis Christianæ gentili habitu induere, antiquis Scandiæ populis majorem gloriam ita conciliaturos.

§. V.

Ex iis, quæ in medium hactenus attulimus, satis colligi potest, Historicos, quotquot in suum indu xerunt animum, veteres Scandiæ populos sub gentilismo aliquam, undecunque partam, de Mysterio S. S. Trinitatis habuisse notitiam, operam lusisse. Quibus coronidis loco addimus, quod quum ratio nostra, antequam probe fuerit exculta, in ideis concretis præcipue occupetur, principia rerum creatarum interna adeo ignorans, ut quid corpus, quidve anima sit, aut quo hæc in se invicem agant modo, explicare nequeat; multo minus curta rationis suæ decempeda immensam Diuinitatis abyssum meteri ullus poterit.

poterit, et Entis Increati, eiusdemque Trinuni cognitionem suis sibi acquirere meditationibus; quæ certe notitia est adeo sublimis, ut Antiquiorum Scriptorum quidam non immerito censuerit: *Nisi Deus ipse dixisset, se esse Trinum in Personis, et unum in essentia, homini non licere hæc dicere.* Imo quum Athenienses, inter cultissimas licet gentes olim habiti, veri tamen Dei accuratam non habuerint cognitionem, proprieaque ἀγνῶστη τῷ Θεῷ aram extruxerint Actor. XVII: 23; quanto minus Scandianis veteribus, valde rudibus, tribuere convenit S. Trinitatis notitiam, qualem sola nobis pandit, ipsis plane ignota, Reyelatio?

S. D. G.

obligato invenit se posse. Hoc est quod dicitur
alio modo: non potest nisi possit. Non potest
est enim de modis, quae sunt in natura, ut
potest. Non potest est de modis, quae sunt
in natura, ut non possit. Non potest est de
modis, quae sunt in natura, ut non potest. Non
potest est de modis, quae sunt in natura, ut
non potest. Non potest est de modis, quae sunt
in natura, ut non potest. Non potest est de
modis, quae sunt in natura, ut non potest.

e D e